TROPÆUM
VIRO
NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, ATq; PRÆCLARISSIMO
DOMINO
M. JOHANNI GEORGIO SPISSIO,

Rectori Scholæ Cniphofianæ meritissimo,

D. 3. Calendarum Martii 1716. quâ exanime corpus ejus magnâ Comitantium frequentiâ sepulchro inferebatur,

Ex debito pietatis affectu erectum

à

Secundæ Classis Discipulis.

Laudibus in cœlum summo si jure feruntur,
  Vitam pro patria qui posuere suam:
Sanè non poterit, Rector Venerande, taceri
  (Dum tibi postremus nunc soluendus honor)
Militiam, pugnamque meram, bellumque fuisse,
  Quam relliquisti non sine mole diem.
Nostra tibi ruditas multorum causa laborum
  Cum vitiis nostris pugna perennis erat.
Certasti morbis, ipsâ cum denique morte,
  Cum satanaque diu quàm tibi lucta gravis:
Verum vicisti: pepulisti nubila mentis,
  Cum radice sua crimina vulsa simul.
Victor & atroces morbos, mortemque sedendo
  Calcasti pedibus, Tartareumque ducem
Ergo tibi in nostris animis ponenda tropæa,
  Quo maneat semper nomen honosq; tuus.
De reliquo placida tua membra fruare quiete,
  Ac molli tumulo svaviter ossa cubent,
Donec Te IEsus per rupta sepulchra jubebit
  Intrare excelsi tecta beata poli.

REGIOMONTI, Literis REUSNERIANIS.